

da ministerii ipsius dignitas & apud rusticos despectus, qui hinc oriri posset; sed potius maculae grauis ab ipso, venerando muneri Ecclesiastico contra conscientiam, cum non exiguo populi scandalo iniustae habenda est ratio. Ut interim auditores informantur, in magno pretio habendos pios Ecclesiae ministros, ipsosque reverenter tractandos, iustum est.

§. 30. Non autem quae hactenus diximus, adeo absolute intelligenda sunt, ac si nullo prorsus tempore nulloque in casu Episcopo alios percutere liceat. Nonnullos igitur indigabimus casus, in quibus Ecclesiae Ministro physicam percussione[m] permissam esse censemus. Quaeritur itaque 1. An Minister Ecclesiae ab aliquo auditorum suorum laesus manu vel alio quocunque instrumento, repercutere possit? Ut recte ad hanc quaestionem responderi queat, ante omnia circumstantiae considerandae sunt. Si enim quis Pastori suo unam vel alteram tantum, eamque non adeo grauem plagam infligeret, hic percussorem verbis quidem redarguere, vel si his locus amplius non est, ictus declinare, aliorum auxilio se contra iniuriam defendere, aut denique abire atque petulantem in ius vocare potest; repercutere autem non debet. Hoc ipso enim nihil aliud efficeret, quam ut furor percussoris magis accenderetur, litesque cum aliorum scandalo auferentur. Praeterea non imitaretur exemplum Christi, qui percussus non repercutit. Et denique non obseruare: mandatum Christi, Matth. V. 39. Equidem ab ineptis eorum abhorreo deliramentis, qui hunc locum proprie intelligendum esse somniant, ita, ut unum colaphum accipiens plures expectare debeat. Hoc enim ipsa sana ratio vetat, neque ab ipso Christo, Apostolis aliisque S. Viris factum est. Sed hoc tantum dicitur, ab omni priuata vindicta abstinendum, potiusque iniuriam ferendam, quam iniuria vindicandam esse. Si autem Ministrum Ecclesiae violentus aggrediatur inuasor, à quo nihil nisi mortem, mutilationem vel aliud quoddam ingens damnum expectare possit, omnino vitam & corpus suum vi atque armis defendere, imo si aliter se conseruare nequeat, aggressorem cum moderamine inculpatae tutelae interimere potest. Quod enim ipse Deus duce natura & sana ratione omnibus hominibus permisit, eo iis, qui sacro officio funguntur

Qv. 2